

Q. D. B. V.

AD

ORATIONEM IN AVGVRALEM

QVA

1722, 33

17

PROFESSIONEM
JVRIS SAXONICI
ORDINARIAM

IN ACADEMIA VITEMBERGENSI
AB

1722,

142

AVGVSTISSIMO REGE

CLEMENTISSIME NOVITER SIBI DEMANDATAM
IPSO DIE AVGVSTO NOSTRO SACRO
IN AVDITORIO MAJORI

AVSPICABITVR

*Agitur:
de iusto pretio iurido
maxo futuendo.*

RECTOREM

ACADEMIAE MAGNICVM

PERILLVSTREM DOMINVM BARONEM
PATRES AC PROCERES ACADEMIAE SPLENDIDISSIMOS

VT ET

RELIQVOS ACADEMIAE CIVES GENEROSISSIMOS
AC NOBILISSIMOS

OMNI QVA PAR EST OBSERVANTIA ATQVE HVMANITATE
INVITAT

IOH. GODOFREDVS KRAVS, J. V. D.

SAX. JVR. PROF. ORD. SCAB. FACVLT. JVRID.

VITEMBERG. ET JVDICII PROVING.

LVSAT. INFER. ASSESSOR

SYBSTITVTYS.





Iuris Romani, quod **IUSTI-**
NIANVS, interprete **TRIBO-**
NIANO, colligere atque pro-
mulgare, curam habuit, quae-
nam uis sit atque autoritas?
non omnium una fertur sen-
tentia. Alii enim huius iuris compilationem
adeo inepte factam esse reputant, ut iuris di-
sciplinam pro illius seculi barbarie satis lace-
ram & Medico perito maxime indigentem, in
manus medici imperitissimi incidisse, qui mul-
tiplicare morbum, non autem curare sciuerit,
censeant. Hinc multis scommatibus a Iusti-
niano susceptam iuris medelam perstringere,
& nihil, nisi opus multorum camelorum, *a)*
quod ex tortuosis legum anfractibus direttore
TRIBONIANO, homine uastro & cauponatore,
Imperatoris sui thesaurario auarissimo, sub au-
spiciis Principis rudis literarumque expertis *b)*
A 2 hinc

a) Conf. **LIPSIUS** in *Epist.*

b) **JAC. RAEVARDVS** *Lib. IV. Var. coniect. 10*, **ARN-**
OLDS *Rezer: Historie/ P. I. L. VI. C. I. §. 14.*

hinc inde fuerit congestum confarcinatumque, appellitare haut uerentur. Ita enim plane nullam exhibere prudentiam legislatoriam artemque iuris, sed repraesentare potius compilationem, multis sententiis, dictisque ueterum Philosophorum & Casuisticorum repletam, adeo, ut, si praecepta iuris cuius infiti tollantur, parum aut nihil supermanere, quod nomen iuris mereatur, scribunt. Imo FRANCISCUS XIMENIVS, Jctus alias excellentissimus, tanto huius iuris odio aruisse fertur, ut palam professus sit, se totum, quod ex isto scientiae genere hausisset, euomiturum. Alii econtra huius compilationis a Iustiniano susceptae utilitatem nimium extollunt, dum omnem iuris scientiam in ea inuenisse autumant, legesque inibi contentas, omnium gentium legibus antefendas esse, c) hancque uel ob causam omnes, quotquot sub sole extitere populi, huius iuris praeceptis & traditis paruisset, d) asserere, non erubescunt. Verum enim uero, quemadmodum prioris sententiae sectatores in defectu, ita & posterioris opi-

c) Vid. CHARONDAS *du Droit Franc. L. III. Resp. 81.* MOLINAEVS *in Comment. ad Consuet. Paris: Tit. des Fiefs, n. 110.* ALBER. GENTILIS *L. 1. C. 3. de iure belli & pacis.*

d) PROGR. PANDECT. FLORENT. *praef. conf. tamen SELDENI Diff. ad Fletam, C. V. §. 5.*

opinionis defensores in excessu peccare, nimirumque proderi adulationem, nemo non uidet. Temperamento itaque opus. Negari equidem non potest, ius a TRIBONIANO compilatum, quam plurimis scateri naeuis, atque quod ab omnibus in uniuersum gentibus uel unquam receptum fuerit, tantum abest, ut JUSTINIANO tanquam subditi paruerint, omnes & a quibus fuit receptum, statim maiorum suorum mores legesque patrias deposuerint & abrogauerint, uix ullus, nisi adulationis superstitione impletus, adeoque sibi non constans, affirmabit. e) Namque quod primum attinet, multi iam magni nominis Doctores HOTTOMANNVS, WISSEMBACHIVS, MATTHAEI, THOMASIVS alique satis id euicerunt. Quo tamen bene separandi sunt casus, ne cum uulgo nudifimus contemptores JUSTINIANI. Videndum scilicet, ubi TRIBONIANVS se gessit, ut Philosophum uel Historicum, aliudue quid imbecillitatis humanae passus est, & ubi se gessit, ut legislatorem. Nam quemadmodum facile concedimus,

A 3

mus,

e) *Illustr. THOMASIVS Dissert. de rite form. statu controu. an Legum Jur. Justinian. frequens an exiguus usus sit in foris germ. §. 5. seqq. LVDOWICI in Suppl. ad Lauterb. ad praef. uerb. totam fere.*

mus, illo casu merito uapulare; ita proinde haut deduci potest, omne, quod Romani Juris praesefert nomen, uel hanc ob rem eliminandum damnandumque esse. *f*) Nam quilibet fatebitur, omni laude priuari haut posse ius romanum, utilitatemque hinc inde habere suam. Ita enim uel nulla ipso hoc iure extat locupletior collectio. *g*) Nullius praeterea gentis fancita magis, quam romana, iudicis arbitrium inter iustos continent cancellos limitesque. Quanta uero incommoda reipublicae enasci inde soleant, si cerebrina iurisprudencia occupauerit iudicia eorum, quibus iura profiteri, interpretari applicarique integrum, & quae mala redundant in rempublicam, si non ex iure, sed ex arbitrio, lubrico saepius atque incerto, dirimantur lites, *h*) qui-

f) B. BEYERVS in *Posit. ad Historiam Jur.* p. 25.

g) DN. GRIEBNER. de *Praeiud. Princ. Imp. ex abusu Jur. Justin.* §. 7. *lit. c. sunt*, inquit, in eo iure multa bene argute & sapienter constituta, ut si cum quocumque iura priuato comparatur, nulli forte cedat, plerisque etiam sit praesferendum.

h) Hanc ob causam optime prouisum *Ord. Cam. P. I. c. 13. in pr. uerb.* Die Besziger des Cammer Gerichts sollen in keiner Sach / sie sey so gering / als sie immer wolle / allein auf ihr Gutbedüncken / oder eines ieden Erwegen Billigkeit oder eigen fürgenommen / und nicht den Rechten gemäß informirten Gewissen &c. Urtheil fassen.

quilibet facile praevidere potest, qui considerat, raro, imo nunquam fere, hominum animos ab omnibus omnino affectibus esse liberos; uerum eo magis se expandere potius affectus, siquidem spes impunitatis quaedam adsit, & iniquitas pallio iuris se tegere possit. Certe est amor, est odium, inuidia, metus, ambitio; sunt dona, & quae sunt sexcenta alia, quae occoecant mortalium oculos, cordaque in transuersum ferunt. *i)* Nec silentio praetereundum est illud, multum in se continere ius romanum, quod omnino summa nititur aequitate, *k)* eoque ipso multarum gentium minus cultarum superare leges, mores. Quo etiam factum, ut multorum populorum applausum fuerit consecutum, atq; non solum nomen *iuris communis* acceperit, *l)* sed etiam

i) Vid. MELCHIOR von OSSEN, im Testamente gegen Herzog Augusten/ Chur-Fürsten zu Sachsen/ p. 47. ed. THOMAS.

k) Vid. GROTIUS *Epist.* 156. ad Gallos, p. m. 339. Tam euidens, scribit, est eius iuris in plerisque partibus, iis maxime, quae ad contractus, aut damnum iniuria datum pertinent, aequitas, ut ad quos populos Romanorum arma peringere nunquam potuerunt, ut in Poloniam uicinasque gentes, eo leges romanae sine ui ulla, iustitiae suae ut triumphantes, peruenerint.

l) RHEZ. in *Medit. Acad. ad Instit. prooem. pos. 19.* STRYKIVS in *V. M. Disc. prael. §. 24.* ARTHVR. DVCK de *Vsu & auth. Jur. Civ.*

iam tanquam ius *uniuersale* in artem redactum, in
Academiis studiosae iuuentuti praelectum, sen-
sim approbatum receptumque & ad negotia ciui-
lia applicatum fuerit. Merito hinc retinetur ius
Romanum, ubi quidem Status Reipubl. & Princi-
pis uoluntas permittit, neque uel hanc ob cau-
sam statim est eliminandum abrogandumque,
quod multa contineat non bene cohaerentia,
multa aliena, obsoleta, & a Statu hodierno abhor-
rentia, multum insuper incerti foueat, & ad pro-
telationem litium ansam praebet. *m)* Multum e-
nim horum dependere a Rabularum & Legule-
iorum ignorantia & malitia nullus dubito. *n)*
Al-

m) Conf. DN. GRIEBNERVS *Diss. de iure incerto ex
dubia LL. quibus uimur, autoritate oriundo.*

n) Contemptoribus Juris Romani, & qui nihil possunt,
quam ut iura recepta taxent, & noui semper aliquid
iuris meditari uolunt, oppono locum ex MELANCH-
THONE, *Orat. de Legibus* qui suo iam tempore de eius-
modi obrectatoribus ita sensit: *Moneo, inquit, iunio-
res, ut insulsos & seditiosos clamores eorum explodant,
qui hoc Romanum Jus uituperant, & somniant, se nouas
leges condere posse. Horum stultitiam non refutabo lon-
ga Oratione, cum quidem uera, grauis & splendida re-
futatio, opponi possit. Sed nunc in hac temporis angustia
eayi omitto, tantum apologum recitabo, qui illustri imagi-
ne ostendit, quales sint illi noui Nomothetae. Simia, quae
capta a hominibus, aliquandiu uiderat urbes, domos, ho-
minum congressus, theatra, spectacula, ludos, postea elapsa
rediit*

Alterum uero quod spectat, cauendum maxime, ne nimium indulgeatur iuri exotico, ne illud, quod Romanis, qui leges suas a graecis petebant, o) etiam nobis uitio uertatur. Nam quamuis ius Romanum exsplendescat nomine iuris communis, propterea minime sequitur, ac si eo ipso, ubi illud receptum, iura patria filere debeant; eaque non ualere, nisi eadem adhuc usu probata esse, quis probare possit. p) Semper

B

rediit ad *smias*, ac narrat, quid uiderit, hortatur, ut hominum imitatione, condant domos, quibus tegantur contra tempestates, & addant moenia, aduersus leones, lupos, homines: nec tantum haec utilitas proponitur, sed commemorantur theatra & spectacula. Horum imitatio magnas uoluptates paritura uidebatur. Placet ergo consilium, & dimittunt *uerulae smiae* iuniores ad materiam cedendam & saxa conuehenda. Sed hic deprehendunt stultitiam suam *smiae*; deerant secures, & ratio nulla erat uel cedendae materiae, uel coagmentandi lapides, denique ars tota architectonica deerat. Res igitur cogit eas id, quod stulte instituerant, omittere. Harum *smiarum* cum *smiles* sint multi, qui hoc Romanum ius *sapientissimorum* & *peritissimorum* hominum deliberationibus scriptum, & deinde illustratum uituperant, & stulte somniant, se meliorem *politiam* condere posse, deliramenta explodenda sunt, quorum quantia sit uanitas, etiamsi iuniores nondum uideant, tamen senioribus & peritis credant, non temere leges *sapientum* & *peritum* iudiciis *latis*, *receptas*, *comprobatas*, *mutandas* esse.

o) Conf. LIVIUS L. III. c. 31.

p) Ita multi adulatione erga Jus Romanum impleri sat

per enim praesumptio pro iure patrio eiusque
obseruantia contra ius quoddam exoticum, &
in subsidium saltem receptum. Nam si ger-
maniam & in specie nostram Saxoniam intuea-
mur, nunquam Germania, multo minus Saxo-
nia, Romanorum Imperio aut Iustiniani nutui
obtemperavit, ut Romanorum placita maiori-
bus nostris in uim legis obrudere, atque nor-
mae instar, actionibus eorundem praescribere
potuerint. 7) Quicquid ergo autoritatis aut le-
gis tribuitur Iuri Rom. non dependet ex pote-
state quadam legislatoria, Romanis, in omnes
populos, ceu nonnulli insulse fatis scribunt,
competente, sed ex spontanea, eaque liberrima,
a Germanis facta receptione, quae institutis in
Germania Academiis pedetentim quidem fa-
cta, per Dd. autem Romani iuris in tantum au-
cta, atque extensa, ut usus huius iuris, quemad-
modum ad uniuersam Germaniam, ita & ad
nostram Saxoniam se extenderit, ubique tamen
saluis illibatisque iuribus moribusque patriis, le-
gibus-

perperam statuunt, & quod maxime mirandum, ipsi
Dd. iuris patrii patriae ita iniuriam inferre, haut ue-
rentur. Vid. PISTORIS *L. I. qu. 16. n. 11. L. II. qu. 13.*
n. 82. in fine. B. TITIVS *in Jur. feud. germ. C. 3. §. 21.*
22. 23.

7) Conf. CONRING. *de Orig. Jur. Germ. C. 25. 26. 32. § 99.*
STRYKIVS *in V. M. L. c. §. 22.*

gibusque domesticis. 1) Inde uel concludere licet, (1.) ius Romanum liberrimo quidem Principum Germ. arbitrio fuisse receptum; ast simul id sequi: Principes in suo territorio pro luitu huic iuri renunciare, & sic efficere posse, ne amplius tanquam Ius commune in abrogantis ualeat territorio, quamuis sit & maneat in ceteris ius commune in Imperio. 5) (2) Receptionem Juris Romani generalem minime ita esse accipiendam, quasi eo ipso leges, tunc temporis latae, usuque receptae, plane exulare, & abrogatae censi debeant, notandum potius, receptionem ita factam intelligi debere, ut demum deficiente consuetudine, aut Lege domestica, NB. in subsidium tantum recurratur ad Ius Romanum. 2) Enimvero utebatur Germania & in

B 2

spe-

- 1) Egregie profus *Per-Illustr.* AVTOR FEAL. EVROP. p. m. 843. scribit: **Denn es wäre ja der ganzen Teutschen Nation disreputirlich / wenn der ins Reich eingeführte frembde Galt / oder das Jus Romanum und Justinianeam, den Wirth und die alten Fränckischen / Schwäbischen und Sächsischen Rechte hätte austreiben sollen.** Vid. STRYK. d. l. §. 29.
- 5) Conf. CONRING. l. c. C. 33. §. igitur constat &c. Dn. THOMASIVS in *Diss. de Potest. LLat. Princ. Imperii comp. contra Jus Commune.*
- 2) Vid. omnino REC. IMPERII de Ann. 1654. §. 105. **Wesnebenst sollen ic. & ORD. JVD. AVLIC. Tit. I. Und weith ic.**

specie patria nostra, antequam aut aliquid audiretur in Germania de Iure Romano, proprio suo iure scripto non minus, quam non scripto, moribusque introducto atque recepto. u) Im-
pri-

weiln x. ubi obiter notandum, iura Germanis ulitata, *consuetudinis* nomine plerumque quod obuenant, id a SINCERO in *Epist. sua de LL. Germ. p. 27.* recte adscribi JCtis Italis, qui sat perperam existimarunt, ac si omnis lex expresse etiam sancita, & a Germanis usitata, consuetudinis uoce exprimi deberet. Quis enim existimaret, Germanos tum temporis, cum Jus Rom. pedetentim per suos Dd. eorumque artes, in Germaniae iudicia se insinuauit, nullas habuisse leges scriptas; Verum notat uox *consuetudo* potius legem, obseruantia comprobaram, cuiuscunque alias fuerit originis. Enimuero, quo acrius Germani legibus suis institere, eo magis Legistae ex memoria illas expungere, conabantur, quare a tenaci obseruantia germanorum leges nomen consuetudinis accepisse, perquam probabiliter tradit LEHMANNVS *Chron. Spir. L. IV. C. II.* conf. Dn. THOMASIVS *de contentione morum cum iure scripto.* Interim per fraudes Legistarum factum esse reputo, quod Germanorum Leges sensim neglectae fuerint, & quod reliquum manserit, uel inter ipsos Germanos nunc consuetudinis uoce ueniat, adeo, ut bona consuetudo, nunc ignorantiae asyllum recte appellitetur. Conf. B. TITIVS *Jur. Priu. L. 1. C. 3. §. 58. seq.*

ii) Germaniae populos & ipsos Saxones, aliis populis longepost, Leges scriptas accepisse, notum, id quod tamen perperam ignorantiae literarum tribuitur a CONRINGIO *L. c.* qui hanc ob causam merito notatu^d

KVL-

primis Saxonum gens, quemadmodum libertatis uindex, ita & suorum iurium perquam tenacissima fuit, adeo, ut non ueretur, traditas sibi a patribus leges pro aris & focis defendere, sed & deuicta iam nihil amplius a uictore petere, quam ut suas retineret leges, w) quas etiam

KVLPIS *ad Monzamb. c. l. §. 2. & B. TITIO Jur. Publ. L. 1. C. 2. §. 5.* Seculo V. ad morem aliarum gentium coepisse scribere leges, constat quidem, sed usum earum uix fata Carolingica adimplere, eruditi tradunt. Conf. TITIVS *Jur. Priu. L. 1. C. 3. §. 54. seqq.* Id quod paulo aliter sentiendum de Legibus, quae *Sec. XIII.* literis fuere exaratae. hae enim, quemadmodum tempore receptionis *Jur. Justiniani* ualuerunt, ita etiam recte praesumitur adhuc dum earum usus & obseruantia, quoniam nullibi uel iota quidem de earum abrogatione conspici licet, & quod usu contrario abrogatae fuerint, indiget probatione. Constat enim, quod Saxonibus semper moris fuerit, seruare patrias leges, id quod Protestationes illae in Comitibus ab Electore Saxone factae, satis testantur.

w) Quamuis enim *Germania* & imprimis *Saxonia* a Romanis saepius bellis lacesita, nonnunquam etiam subacta a *Carolo M.* aliisque Imperatoribus, nullatenus tamen in durissimam potuit redigi seruitutem, sed uicta etiam, maiores reassumisse uidetur libertatis ardores, iura propria & statuta firma semper coluit, eaque ipsi uictores eis confirmarunt, ut tam gentis, quam iuris Saxonici aurea libertas pressa, nunquam suppressa, sed usque ad hodierna tempora manserit salua. MARTINI *d. l. n. 15. seqq.* ibique alleg. FABRICIVS *de Ducibus & Regibus Saxonum.*

saluas retinuit. x) Facile hinc iudicari licet, quod quamuis circa Seculum XV. y) occasione Aca-
demiarum ad morem Italiae institutarum, &
Professorum inde adductorum, Jus Romanum
simul in Germaniam transferit, quod Dd. nihil
aliud, nisi quod ex foro Rom. petatum erat,
profiteri auditoribus didicerant, atque ita iur.
Rom. doctrina sensim inualuerit, fieri tamen id
aliter haut potuisse, quam quod, si casus ex
patrio iure decidi haut potuerit, ius Rom. tum
demum in subsidium a suis Dd. fuerit uocatum.
Atque ita iuribus patriis neutiquam, aut etiam
in aliquo puncto, fuit derogatum, quod usus
huius exotici iuris nullus alius, quam subsidia-
rius fuit, id quod etiam de usu hodierno huius
iuris huc dum statuo, & firmiter mihi persuadeo,
quod si casus obueniens ex iure patrio, mori-
bus uel legibus domesticis, siue illae speciales,
siue prouinciales aut communes sint, decidi
possit, legum Rom. applicationem merito ces-
sare. z) Adeoque uel per se patet, absque patri-
arum legum atque consuetudinum notitia,
iuris-

x) Conf. ENGELBRECHT. *Comment. de Utilit. & necess.
Studii Jur. Germ. ib. 14. ibique alleg.*

y) Conf. STRUV. *Histor. Jur. C.VI. §. 30.*

z) Quo pertinet istud uulgare, *Willkühr bricht
Stadt-Recht / h. e. ius conuentionale derogat iuri
Statutario, Stadt-Recht bricht Land-Recht / Land-
Recht bricht Käyserlich Recht.*

iurisprudentiam, praeprimis in terris nostris,
mutilam atque mancā esse, uariaque mala atque
incommoda ex neglectu atque ignorantia iuris
domestici redundare in Rēpublicam. a)
Maiori uero dubio obnoxia est ista quaestio,
*quid nomine Juris Saxonici communis ueniat,
quod in decidendis causis, legibus atque prae-*
ceptis

a) Agnoui hoc iam suo tempore ZOBELIVS in poe-
mate Speculo Saxonico post Titulum in pagina aduersa
praemisso,

Lectori candido

Turpe oranti causas, si Mutius esse,

Si in quo uersatur, nobile nescit opus.

Turpe tibi esse puta, quamuis reliqua omnia noris,

Si nescis patria iura recepta tua.

Merito adeoque reiicienda eorum opinio, qui existimant,
quod inutile sit, leges addiscere antiquas Saxonicas,
uel in Germania olim receptas, quoniam pleraeque es-
sent obsoletae, neque ad Statum Reipublicae hodie-
rum accommodatae, pleraeque etiam ex Legibus
connatis decidi possent, & quae positiuam sanctio-
nem desiderent, legibus recentioribus definita re-
periantur. Sed quemadmodum in genere & de o-
mnibus Legibus Saxonice, aut germanicis asserere id
nec uacat, nec licitum est, ita & romānas Leges
multum obsoleti, & quod ad Statum hodiernum haur
applicari potest, non minus continere, concedere
cum necessum habeant, nihilominus tamen earum
cultura maxime commendari soleat ab illis, hinc
uel eo ipso se refellunt. conf. SINCERVS *Epistol. de*
Legibus Germ. p. 66. 119. LVDOVICI *Sachsen-Spiegel*
Praefat. §. 39. 40. 41.

ceptis Juris Romani praefendum? atque unde fontes morum legumque, quibus Maiores nostri ante iuris civilis receptionem usi, hauriendi, deducendique? Erat enim, ceu historiarum monumenta tradunt, Saxonum gens militaris & ferocissima, b) quae tamen bonos mores plus aestimabat multis legibus scriptis, quo factum, ut etiam, aliis gentibus longe post, scriptas assumerent leges, c) quas equidem HEROLDVS d) LINDENBROGIVS e) aliique f) collegerunt, sed quae

b) EGINHARTVS equidem de Saxonibus scribit:

Aspera gens Saxo uiuens quasi more ferino.

ast num in omnibus uerum, quod est testimonium ab hoste peticum, aliis meditandum relinquo. Id certum, si quis cum hocce testimonio conferat TACITI assertum, uix erit credibile. Vbi enim boni mores plus ualent legibus, ibi certe more ferino uiuere haut licet. Conf. MARTINI d. l. C. 2. n. 31. seqq.

c) Vid. *supra* not. lit. u. Bene notat B. TITIVS *Jure Priu. L. 1. C. 3. §. 25.* Germanos & Saxones, quod non habuerint leges scriptas, hoc repetendum esse ex uitae simplicitate. *Rudior enim uita, inquit, paucis regulis est contenta, sed institutorum uarietas, maiorque uitiorum & uanitatis cognitio ac praxis, magnum legum scriptarum apparatus exoptulant.*

d) Ex Bibliotheca WOLFFGANGI ABBATIS FULDENSIS in peculiari libro, quem inscribit *Originum ac antiquitatum germanicarum libros.*

e) In *Codice Legum antiquarum.*

f) STEPHANVS BALZIVS in *Capitularibus Regum Francorum.* MELCHIOR GOLDASTVS in *Collectio-*

quae fides & autoritas harum legum fuerit? pa-
rum constat. g) Nec & maiorem autoritatem li-
bros istos habere, qui nomen SPECVLI SAXO-
NICI prae se ferunt, & tres quasi partes conti-
nent, JVS sc. PROVINCIALE, das Sächſiſche
Landt-Recht / JVS MVNICIPALE, das Weich-
bildt / h) & JVS FEVDALE, das Sächſiſche
Lehn-Recht / haut pauci contendunt. Negan-
dam equidem non est, non publica quadam au-
toritate, sed priuata cuiusdam i) industria, uolu-
mina haec conscripta esse, multas praeterea fa-
bulas

ne Constitutionum Imperialium. IUST. GEORG
SCHOTTELIVS *de singularibus quibusdam & an-
tiquis in Germania Juribus & Obseruatis maximam par-
tem adhuc usitatis.*

g) Quamuis enim Compiler HEROLDVS farragi-
nem hanc opus pietatis, nec non ueteris uenerandae-
que illius uere Francicae Maiestatis plenum praedicet, in
quo uocum proprietates cernatur, & solers admini-
strationis reipublicae exemplar, aliis ad imitandum
exhibeatur; Autor tamen amore uenerandae anti-
quitatis excoecatus uidetur. Vid. MARTINI *d. l.*
C. 3. n. 10.

b) Quod & MAGDEBURGICVM dici solet. Vid.
STRYK. *l. c. §. 11.*

i) EPKO de REPRAW, Nobilis Saxo, minime uero, ut
fabula est, CAROLVS M. uid. STRUVII *Hist. Jur.*
C. VI. §. 22. & B. TITIVS d. l. §. 35.

bulas atque ineptias, *k*) variaque, quae a cultu religionis Christianae studioque pietatis recedunt *l*) quaeque ad faciem nostrae reipublicae hodiernam minime quadrant, & uel ipsa uetustate, aut obseruantia contraria legibusque recentioribus eliminata sunt, continere: *m*) Sty- lum praeterea obscurum atque impolitum ordi- nemque confusum exhibere, ut uix absque tae- dio perlegi possint, multo minus intelligi, ut adeo de

k) Conf. STRUVIUS *d. l.* in not. †††††††††† item. MART. *d. l.* C. 3. n. 10.

l) Saxones enim prisca, ut & Germani reliqui, nec ueri DEI cognitione, nec liberalium artium cultura gaudebant, sed feracitate & armis. MART. *d. l.* C. 2. n. 15.

m) Pertinet huc COLERVS in *Epist. dedicat. de Proc. Execut.* nec illud etiam, inquit, inficias eo, *Leges Saxonicas, quas habemus in scriptis redactas, instar oraculi habendas aut adorandas non esse, quin ab ipsis maiores nostri, probabilibus rationibus moti, in multis articulis recesserint, illas in certis casibus declarando & reducendo ad normam aequitatis & iuris communis scripti, adeo, quod de consuetudinibus patriae, quae etiam pro diuersitate locorum diuersimode obseruantur, aliquid certi in medium proferre non tam laboriosum, quam etiam de fide ueritatis nonnihil suspectum existimari potest, ita, ut non immerito HARTM. PISTORIS cognitionem Jur. Sax. magis ex usu Practico, quam ex uerbis LL. Prouincialium, comparandam esse autumet. Id quod tamen cum grano salis accipiendum.*

de auctoritate horum Voluminum haut pauci dubitare uelint, num scilicet iste, qui ad textum quendam ex his libris allatum, prouocat, fundatam, ceu loqui amant, habeat intentionem? an uero, quod plures asserunt, n) peculiaris eius usus atque receptio probari debeat; quo posteriori in casu ulterius disceptatur, unde usus atque receptio pateat? an ex Dd. assertis? an ex usu fori? Id quod utrumque tamen maxima cum difficultate coniunctum, & uerendum est, ne hunc in modum usus huius iuris magis magisque destruat. Quod enim Dd. asserta attinet, ea ad probandum usum eo minus sufficiunt, quo magis constat, homines ad dissentiendum perquam procliuus existere, nec ulla fere, licet sit ineptissima, dari sententiam, quae non unum alterumue Doctorem propugnatorem inuenire soleat. o) Quod si uero

C 2 rece-

n) HARTM. PISTOR. RAUCHBAR. SCHVLTES, COLERVS, CARPZOVIVS, STRUVIVS, RICHTERS, MENCKENIVS, LYNCKERVS, alii- que; uide Dn. GRIEBNERI *Diss. de iure incert. ex dubia Legum, quibus utimur, auctoritate oriundo.* §. 12. ibique alleg. HOFFMANN. *sub lit. c.*

o) Praeclare hanc in rem FRITSCHIVS *Tr. de donat. filiae Principis Cap. V. n. 4.* Verum, inquit, auctores nostri saepe in asserenda consuetudine uniuersali iuri communi

con-

receptio ex usu fori iudicari debeat, iterum,
unde ille sit aestimandus, dubium enascitur.
Pragmatici equidem fingunt, *Collegia iuridica*
constituere fori usum, atque exinterpretatio-
ne prudentum pendere legum autoritatem. At
enim uero hoc modo maxime etiam uerendum
est, ne, hac sententia admissa, tot usus legum
hodierni obtineant, quot extant *Collegia*
*J*ctorum. *p*) Sane, nec ipsa haec *Collegia* a varia-
tionibus uacua esse, res per se clara est. *q*) Imo,
quam saepius etenire solet, ut, unica licet sen-
tentia lata sit, illa tamen statim *Obs*eruantiae
instar allegetur, atque ex unico praecudicio u-
sus forensis aestimetur. *r*) Verum enim uero
omnia

contraria nimis faciles esse solent, non satis attendentes,
quam difficile sit, legem, cum primis iustam generalem in
*R*epublica Germanica, quae tot paruis rebus publicis con-
stat, in uniuersum consuetudine ac usu tolli, quam difficile
etiam sit, eiusmodi uniuersitatem consuetudinis legitime
probare. Vnius certe uel alterius *Do*ctoris, licet maximae fi-
dei, autoritatis & experientiae sit & fuerit, assertione uel
testimonio nullatenus probari potest.

p) Conf. *D*N. *G*RIEBNER. l. c. §. 12.

q) Vid *D*N. *L*EYSER. *D*iff. de *V*ariat. & *r*etract. *J*Cto-
rum §. 9. ubi in seq. causas adducit.

r) Conf. *B*. *B*EYER. in *P*raefat. ad *ff*. §. 19. ubi: *R*ece-
prio, inquit, etiam in uno iudicio uel *Collegio*, uel *Pro-*
uincia,

omnia haec, & quae sunt alia, quae usui Saxo-
nici Juris obiici solent, tanti ponderis haut sunt,
ut usus huius iuris in dubium sit uocandus, &
textui, ex hoc Jure desumpto, aliter fides non sit
habenda, nisi receptio & usus peculiariter de-
monstretur. s) Res eò redire uidetur, *an un-*
quam in Saxonia certus huius Juris antiqui, &
prout istud in Volumina supra adducta collectum
est, usus fuerit? & utrum iste usus adhuc hodie
conseruatus sit? Quod utrumque, ultimum ta-
men sub hac restrictione, modo textus obue-
niens aut a cultu religionis christianae ac pie-
tatis

C 3

uincia, non statim extendenda est ad loca uel Collegia alia,
cum, teste experientia, frequentissimus sit Collegiorum etiam
sub eodem Principe, in eadem urbe constitutorum dissensus.
Imo cum & eadem Collegia saepius mutant sententiam,
quod ex euolutione Decisionum Coleri, Quaestionum Pi-
storis, Observationum Fimckelhusii & Coppenii Operum,
denique Carpzouii, Berlichii & aliorum, ne quid de no-
uissimis dicam, patet. Neque plus probabit exemplum rei
iudicatae, seu praeiudicium, quam iis temporibus, quibus
ita pronunciatum est.

- s) Vid. KNICHEN. *de Sax. non prou. iur. u. Jus* Cap. III.
num. 19. seqq. DN. DE BERGER *Oecon. Jur.* p. 33.
Not. 1. B. STRYK. *l. c.* §. 28. 29. 30. 32. B. HORNIVS
in Jurispr. Feud. C. 1. §. 37. DN. LEYSERVS *in Collat.*
Prisci Juris Sax. cum Jure Rom. & moribus hodiernis.
S. 5.

tatis studio non sit alienus, aut ad Reipublicae
statum modernum amplius non quadret, aut
denique per sanctionem expressam *t)* notoriam-
que consuetudinem nec emendatus uel abroga-
tus sit, affirmandum puto. *u)* Vt enim praeter-
mittamus, ipsam huius Juris denominationem
Sächsisch Recht / quae per se usum atque au-
toritatem huius iuris indicat, nemo, nisi o-
mnem historiae fidem abnegare atque ipsissimis
uerbis A. B. *w)* contradicere audebit, prisca il-
la

t) Variis enim LL. in Imperio latis atque praescriptis
irrationabiles consuetudines damnatae atque pro-
scriptae. STRYK. *d. l. §. 27.*

u) SINCERVS *l. c. p. 26. sqq.* ex his rationibus ualidita-
tem legum germanicarum ut & Saxonicarum stabili-
t, 1.) quod receptio Rom. Jur. facta saluis LL. ger-
man. 2.) quod post promulgationem a CAROLO M.
factam, pro ualore LL. promulgararum tamdiu praes-
sumendum sit, donec sanctio abrogatoria probetur,
quae haecenus nondum appareat, 3.) confirmatio
FRIDERICI I. OTTONIS IV. FRIDERICI II.
RVDOLPHI I. accesserit. 4.) in specie Jus Saxoni-
cum & Sueuicum in A. B. confirmatum, nec eorum
auctoritati securis temporibus derogatum fuerit, ac 5.)
ea sententia eruditioribus JCtis, LINDENBROGIO,
GOLDASTO, LEHMANNO aliisque sit probata.

w) ubi TIT. V. §. 2. Elector Saxoniae Vicarius Imperii
dicitur iis in terris, ubi iura Saxonica seruantur. Conf.
ENGEL-

la iura, quae in SPECVLO & IURE FEVDALI SAXONICO, nec non in WEICHBILDICO continentur, in omnibus iis terris, quae adhuc hodie ad Vicariatum Saxonicum pertinent, Saxonia sc. superiore & inferiore, Thuringia, Marchia, Pomerania, Bohemia, Silesia, Lusatia, Holfatia, Borussia, imo & in Transylvania atque Dania recepta olim ac obseruata fuisse. x) Neque ad rem quicquam facit, Volumina haec a priuatis tantummodo collecta, neque a Principe unquam, quo legis auctoritatem habeant, confirmata esse. Istud enim tantummodo exinde sequitur, uim iuris scripti non habere; nihilo tamen secius, cum usu ad minimum sint approbata, uim iuris non scripti, quod legem per omnia imitatur, minime ipsis denegandam esse. y) Neque enim priuatorum opiniones, sed antiquissimas maiorum nostrorum consuetudines in se continent, quod ipse SPECVLATOR Speculi Saxonici in *Prooemio* indicat :

Dieses

ENGELBRECHT *de utilit. & necessit. stud. iur. germ.* s. v. p. 54. sqq. ubi pluribus deducit, per hunc textum A. B. non terras, quae olim ad Saxoniam plagam pertinuerunt, sed ipsa iura Saxonica antiqua, quae in Codices adductos relata sunt, indigitari.

x) Vid. STRUV. *Histor. iur. C. VI. §. 23. ibique alleg.*

y) *L. 33. ff. de LL.*

Dieses Recht hab ich selber nicht erdacht/
Es habens von Alters auf uns bracht
Unsere gute Vorfahren.

Quemadmodum ergo ius feudale Longobardicum, licet a priuatis Jctis sit collectum, tamen ad decidendas feudalium controuersias omnium fere interpretum assensu allegari solet, neque peculiarem obseruantiae probationem requirit; Sic certe nullus dubito, quin illud, quod de exotico iure dicitur, multo magis de patrio affirmem. z) Continuatio enim huius usus tamdiu est praesumenda, donec contrarium & abrogatio sufficienter doceri possit. Ad minimum usus huius iuris hodiernus haut parum exinde corroboratur, quod Codices Juris Saxonici ueteris semper conseruati, atque nouae saepius editiones paratae sint, Doctores etiam Saxonici in iis interpretandis multum studii collocauerint, a)

z) Certe, quod SPECVLVM SAXONICVM maximae quondam fuerit autoritatis ex *Bulla Gregorii XI. An. 1373.* promulgata, colligi potest. conf. STRYK. *l. c. §. 12.* CONRING. *d. l. C. 30. 31.* GRYPHIAND. *de iure Weichbild. C. 40. sqq.* SINCERVS *l. c. p. 20. sqq.*
a) Conf. B. TITIVS *d. l. §. 37. sqq.*

iisque magnam adhuc auctoritatem tribuerint.
Cui accedit, quod perquam saepe in ipsis iu-
ribus nostris ELECTORALIBVS prouocari so-
leat ad ea, quae Jure Saxonico communi ob-
tinent b) quemadmodum etiam per ista sae-
pius

b) Pertinet huc ORDINATIO SVMMI PROVOC. JVDICII,
de ann. 1607. p. 884. ubi expresse dispositam est: Man
soll in unserm Appellation-Gerichte fürnehmlich die
ausgegangenen Landes-Ordnungen und publicir-
te Constitutiones, auch was wir hierüber ferne ver-
ordnen werden, und dann das Land-übliche
Sächß. Recht in acht nehmen/was aber in demsel-
ben ausdrücklich nicht versehen (ergo non nudas con-
suetudines, sed quae in scripturam sunt redactae, pu-
ta in Speculum Saxonicum, Jus Feudale Sax. & Jus
Weichbildicum, cum praeter hos Codices nulli alii
superessent) soll man aus des Heil. Röm. Reichs
Constitution und Abschieden/ und nach gemeinen ge-
schriebenen Rechten/ urtheilen und erkennen. Conf.
ORD. SVB. CVR. PROVINC. LIPS. *de ann. 1549.*
ibi: Daß die Sächßischen Rechte/ wie die ausgedrückt
und in Landläuffiger Übung von Alters herkom-
men/ sollen gehalten werden/ nec non ORD. CVR.
PROV. VITEMBERG. *de ann. 1550.* ibi: Sächßische
Rechte/ so ferne dieselben nicht wieder Gottes
Wort/ und von der Christl. Kirchen nicht abgethan
sind/ sollen gehalten werden/ und in welchen Fäl-
len das Sächß. Recht nicht sonderlich ordnet und
sta-

pius quibusdam huius iuris sancitis derogari solet, qua speciali abrogatione opus haut fuisset, si usus huius iuris per se non subsisteret. Sane, ipsi Serenissimi Electores Saxones Protectores atque custodes huius iuris passim denominantur *c)* quod, usu huius iuris remoto, uix fieri posset. Reliqua, quae ualiditati huius iuris opponi solent, facillimo negotio destrui possunt, & supra e medio sublata sunt. Enimvero, si quis ita argumentari uellet: Quaecunque collectio iuris multa uetusta, a religione christiana aliena, fabulosa, atque inepta continet, ea in totum est reiicienda, subsumtio non minus de Juris Romani collectione, quam Saxonici, per se patefceret. *d)* Id quod etiam ad Styli obscuritatem respondere licebit.

*statuïret / sollen die gemeinen geschriebenen Rechte
gebraucht werden.*

c) Vid. HEIGIVS P. 1. Q. 4. n. 35. ALBINVS in *Histor. Misn.* P. 1. Tit. 16. CARPZ. ad *L. Regiam* Cap. XI. Sect. 13. n. 11.

d) Vetustas enim non statim ius tollit, *arg. L. 27. C. de testam.* neque statim ex quorundam capitum abrogatione ad sublationem totius operis argumentari licet, *l. 32. §. 6. C. de Appellat.* conf. LUDOVICI SACHSEN Spiegel / Praefat.

bit. e) Sufficit ergo, quod omnes fateri teneantur, multum aequitatis f) &, quod ad tranquil-
landam rempublicam facit, latitare in Jure
Saxonico, quod Speculi nomine uenit. g)

At enim plura de hac re in praefens afferre su-
perfedeo. Cum enim **SERENISSIMVS**
ATQVE POTENTISSIMVS REX,
ELECTOR NOSTER, *Dominus no-*
ster longe clementissimus, tanquam Summus Juris
Saxonici Protector, in hac sua Electorali
Academia **PROFESSIONEM JURIS SA-**
XONICI ORDINARIAM erigere, mihi que
hanc spartam, Jura Saxonica publice docen-
di, conferre, clementissime decreuerit, quam
sum-

e) Ita enim de Jure Rom. non minus iudicat **PAVL.**
RAPHAEL FVLGOSIVS, cuius Consilium ad *L. 17.*
ff. de inoffic. testam. hac ex parte datum, ualde mihi
arridet: *Si bene non intellexistis, inquit, textum, eum*
legetis ter & quater, & sonabit uobis. Sic enim est mos
Pauli, & si haberem illum, per capillos interrogarem.
Iste maledictus Paulus ita obscure loquitur, ut uix possit
intelligi.

f) Conf. **GROTIVS** de Jure B. & P. Lib. II. c. 8. ad §. 23.

g) Conf. **THOMASIVS** Hist. Jur. §. 109. **SINCERVS**
l. c. p. 66. 109. sqq. **ITTER** de feud. Imp. C. II.
§. 1. sqq.

summam REGIS NOSTRI erga me clemen-
tiam submississima animi deuotione agnosco,
sub noui huius muneris auspiciis, more institu-
toque Maiorum, Oratione quadam solenni *de*
necessitate atque utilitate Studii Juris Saxonici
in Academiis Saxoniciis, plura differere constitui.
Faciám autem hoc, quod muneris mei ratio a
me exigit, cras, DEO dante, ab hora IX. ma-
tutina in Auditorio Maiori. Quo itaque huic
Actui solenni MAGNIFICVS DN. RECTOR,
PERILLVSTRIS DN. BARO, PATRES AC
PROCERES Academiae nostrae splendidissimi,
atque reliqui Studiorum Fautores, una cum ge-
nerosissima & nobilissima ciuium nostrorum
corona, interesse haut dedignentur, omni, qua
par est, obseruantia atque cultu rogo, contendoque.
Atque si hoc impetrauero, sicuti nul-
lus dubito, quaeuis officiorum genera me ex-
hibiturum promitto. Dabam Vitembergae
Domin. IX. post Trinit.
M DCC XXII.

VITEMBERGAE

LITERIS VIDUAE GERDESIAE

Wittenberg, Diss., 1723


ULB Halle

3

004 581 644







B.I.G.

Farbkarte #13

Q. D. B. V.

AD

ATIONEM INAUGURALEM

Q. V. A

22. 17

PROFESSIONEM
RIS SAXONICI
ORDINARIAM

1722,

IN ACADEMIA VITENBERGENSI
AB

142

AUGUSTISSIMO REGE

ANTISSIME NOVITER SIBI DEMANDATAM
P SO DIE AUGUSTO NOSTRO SACRO

IN AUDITORIO MAJORI

Agitur:

AUSPICABITUR

de iusto pretio iuridico
maxo statuendo.

RECTOREM

CADEMIAE MAGNIFICVM
RILLVSTREM DOMINVM BARONEM
AC PROCERES ACADEMIAE SPLENDIDISSIMOS

VT ET

ELIQVOS ACADEMIAE CIVES GENEROSISSIMOS
AC NOBILISSIMOS

QVA PAR EST OBSERVANTIA ATQVE HVMANITATE
INVITAT

GODOFREDVS KRAVS, J. V. D.

X. JVR. PROF. ORD. SCAB. FACVLT. JVRID.
VITENBERG. ET JVDICII PROVINC.

LVSAT. INFER. ASSESSOR

SVSTITVTVS.

WITTEBERGAE. LITERIS VIDVAE GERDESIAE